

3. † R. P. Gulielmus Hogan (1863-1938)

Etiam hic confrater, ut duo praecedentes, ortum habuit in urbe Quebec ex parentibus Hibernis (ibi natus 26 Aug. 1863), et formationem suam recepit in Provincia Baltimorensi. Constituta a. 1912 Vice-Provincia Torontina a Baltimorensi Provincia dependenti, in patriam rediit. Primus fuit in sua Provincia cui obtigerit officium futuros missionales in secundo novitiatu efformandi, quod fecit a. 1919 et postea bis. Erat enim missarius egregius, qui magna cura omnes suos sermones elaborabat et quo nemo Canadensium plures missiones praedicavit, sive in USA sive in patria, a provincia Ontario usque ad Terram Novam. Tradidit quoque multoties exercitia spiritualia sacerdotibus religiosisque. Loquebatur forsitanimis dramatice. Excellebat in apologetico dicendi genere. In Capitulo generali anni 1921 erat Vocalis secundus suae Provinciae.